

firmandum contulerint. — *Uroris* titulus Regiae ultimo adicitur, uti etiam 1 Par. 3, 3, ut affirmetur, omnes illas, a prima usque ad ultimam, uxores fuisse, non concubinas.

5) Abner interfectio 2 Reg. 3, 6-39.

Anc. — Abner ab Isboeth offensus nuntios mittit ad Davidem et, restituta eidem uxore Michol, seniores Israel, ut Davidis se partibus iungerent, cohortatus, ipse Davidem adit, a quo amice excipitur. Inde vero redeuntem, inscio rege, dolo interimit Ioab. Quod facinus David exsecratus solemnes Abnero exsequias instituit.

v. 6 « *Cum ergo esset proelium inter domum Saul et domum David, Abner filius Ner regebat domum Saul* ». Item LXX Chald. ; Syr., accuratius secundum etymon, *fortiter agebat in domo Saul*; utrumque fere coincidit. In Abnero consistebat robur causae Isboeth. Porro v. 6 est prodisis, cuius apodosis sunt verba v. 7 *Dixitque etc.*; prior pars v. 7 est parenthesis (*Then*). v. 7 « *Fuerat autem Sauli concubina nomine Respha, filia Aia* ». Plura de Respha 21, 8 sqq. Nomen Aia varie legitur. « *Dixitque Isboeth ad Abner* »: v. 8 « *Quare ingressus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Isboeth, ait: Numquid caput canis ego sum adversum Iuda hodie?* » Numquid, qui hucusque in supremo honore habebatur, factus sum subito nullius notae vir, qui impune despectui possim haberi?

LXX Chald. minus apte *hodie* ad sequentem versum trahunt. *Vulg.* ita explicat Ps. *Hier.*: « Propter te et propter domum patris tui dico caput canis esse contra Iudam, eo quod non reducam domum Israel ad David, quem scio unctum esse regem et regnaturum super universum Israel ». Difficultatem facit textus *Hebr.*, ubi *היהוה* propter interpositum *אשר* cum prioribus iungi nequit; quod fecit *Syr.* *caput canum Iuda*; dum LXX verba omitunt. Solutionem praebet Chald.: *Numquid caput canis ego sum? Nunc sum vir idiota de reliquiis domus Iuda.* בכתן הויהי *caput canis ego sum? Nunc sum vir idiota de reliquiis domus Iuda.* יהוה היהוה *caput canis ego sum? Nunc sum vir idiota de reliquiis domus Iuda.* *היהוה היהוה* *יהוה היהוה* *יהוה היהוה*. Tam haec ultima sententia non est nisi iterata versio prioris, sed quae indicat, quomodo ea primitus legeretur. בכתן *hodie*; *יהוה היהוה* est *hebr. ראש כלב*, omisso tropo; vox *שאר* eadem est atque *hebr. עיאר*, *reliquiae* vel *cognatio* (Lev. 18, 17; cf. 1 Par. 7, 24). Haec vox *hebr.* deformatam est in *אשר*, vel propter subsequens *אשר* e textu exidisse dicenda est, ut textus primitus fuerit hic *אשר יהוה היהוה*: *אשר* *יהוה היהוה*: Numquid caput canis ego sum, de cognatione Iuda, hodie, qui etc. Ubi: « se mutuo canes vocant hostes », advertit *Már*. Numquid nunc, quaerit Abner, aequiparor uni ex illis canibus tribus Iuda, qui ante fideliter servieram domui Saul? Cum ita sententia *qui fecerim etc.* primitus ab *אשר* inceperit, explicatur tempus verbi *אעשה*. — Ceterum facile defenditur textus *hebr.* receptus, si ante *אשר* suppleas copulam, quam fortasse legebat *Vulg. Syr.*: Numquid caput canis ego, qui hodie pro Iuda sentiam, Iudae partes sustineam, dum pridem favorum domui Saul?

« *Qui fecerim misericordiam super domum Saul, patris tui, et super fratres et proximos eius, et non tradidi te in manus David* ». Commemorat Abner, quam bene meritus sit de Isboeth. « *Et tu requisisti in me, quod argueres pro muliere hodie!* » Et tu visitas super me, punis vel reprehendis in me, iniquitatem mulieris (cum articulo, huius mulieris) hodie; post obsequium tibi tam diu et tam fideliter praestitum. Iniquitatis mulieris intelligitur non a, sed in muliere commissa, res quae nequeat venire in comparisonem cum tantis in rempublicam meritis. v. 9 « *Haec faciat Deus Abner, et haec addat ei, nisi, quomodo iuravit Dominus David, sic faciam cum eo* », v. 10 « *ut transferatur regnum de domo Saul, et elevetur thronus David super Israel et super Iudam, a Dan usque Bersabee* ». Cf. 4 Reg. 3, 20. Haud est dubitandum, quin David regno in Hebron potitus, promissionem a Deo acceptam promulgaverit; eandem forte iteravit Gad aliusve propheta. v. 11 « *Et non potuit respondere ei quidquam, quia metuebat illum* ». *Hebr.* *Non potuit iterum*: rependerat pro praesumptis cum vidua regia nuptiis satis timidam v. 8 reccriminationem; ad minas non verbulo quidem respondit.

v. 12 « *Misit ergo Abner nuntios ad David pro se, dicentes: Cuius est terra? et ut loquerentur: Fac mecum amicitias, et erit manus mea tecum, et reducam ad te universum Israel* ». Feri mecum foedus. Verba *Cuius est terra?* brevissima formula complectuntur, et ipso exordio orationis quasi in medio collocant quaestionem, ob quam tanto tempore feriverat pugna, et respectu cuius Abner pacitionem proponit, ratus eius fore terram, cui ipse eam concesserit (*Tir*). Primo *לאמר* generalis illa quaestio exprimitur, altero eiusdem discussio suscipitur.

אמר דהתר לאמר לומר ארון. Ipsa lectio LXX, licet ex textu *hebr.* valde manca profecta, contra recentiores criticos evincit, duplex *לאמר* esse genuinum. Cum aliqua se. invectione duobusque mendis ipsi legebant *אמר דהתר לאמר לומר ארון*, quod ita ipsi partim vetererunt et partim transcripserunt (cf. *Cod. Alex.*): εἰς Οὐλίκου γ' ἢ' παρὰ-ζωτῆς ἀπὸ γ' ἢ' οὐλίκου. Recte ipsi cum Chald. *Ag. Kinchi* *דהתר* non vertunt *pro se*, i. e. *loco sui* (*Symm.*), legatum enim loco mittentis mitti evidens est, sed *in ipso loco* seu *illico*, *gall.* « sur le champ ». Ceterum advertit, ex *Eusebii* Locis *Hebr.*, ubi dicitur *Οὐλίκου* ab *Aq.* verti *αὐτῶν ἀπὸ γ' ἢ' οὐλίκου*, a *Symm.* *ἀπὸ γ' ἢ' οὐλίκου* videri efficit, Eusebium in suo codice LXX *αὐτῶν ἀπὸ γ' ἢ' οὐλίκου* (*דהתר*) non legisse; tamen habet editio LXX Sixtina, deest apud *Syr.* — Cf. *Vere*.

v. 13 « *Qui ait: Optime, ego faciam tecum amicitias; sed unam rem peto a te, dicens: Non videbis faciem meam, antequam adduxeris Michol, filiam Saul; et sic venies et videbis me* ». Non nisi hac conditione impleta, de rebus componendis cum Abner conferre vult. Repetiit Micho-

lem David, quod esset uxor sua sibi que iniuste ablata, quod ob insignem exhibitum amorem (1 Reg. 18, 28; 19, 11 sqq.) sibi cara esset, quod ita ipse se domui Saul affinem, ideoque eius asseclis minime infensum actu profiteretur (cf. *Lap.*): « Quoddam ad regnum suffragium videbatur, si Saulis, qui regnaverat, filiam haberet in matrimonio » (*Mench.*). — כס post כח abundat, a *LXX Chald.* ignoratur et, cum כס praecedat et sequatur, probabilis mendose irrepit (*Then.*).

v. 14 « *Misit autem David nuntios ad Isboeth, filium Saul, dicens: Redde uxorem meam Michol, quam despondi mihi centum praeputis Philisthinum.* » Centum requisiverat Saul 1 Reg. 18, 23, allatis centum ius in uxorem acquisiverat David, centum igitur h. l. exprimit, licet de facto ducenta solverit. Ab Isboeth petit, quod caput is esset domus Saul; quod is certissime sciretur cessurus esse, maxime si Abner instaret, et ita reparatio evasura esset longe solemnior, cum a Saule ablata a Saulis filio, soror a fratre, restitueretur. Transferebatur insuper ea ratione Phaltielis indignatio a Davide in Isboethum, dum intelligeret Davidem non vi, sed iure, quod suum erat recuperasse. v. 15 « *Misit ergo Isboeth, et tulit eam a viro suo Phaltiel, filio Lais.* ». Cf. 1 Reg. 23, 44. « Non repugnavit Isboeth, sentiens David irritandum non esse eo tempore, quo Abner alienato erat animo » (*Mench.*). Tam David quam Abner agnoscunt invaliditatem secundi matrimonii, vivente primo marito, a quo fuerit uxor vi, nulla intercedente divortii causa, ablata. Ceterum Phaltielei bona fide egisse et cum recentioribus quibusdam putasse, auctoritati civili in re matrimonii plenam competere auctoritatem, ostendit v. 16 « *Sequebaturque eam vir suus plorans usque Bahurim. Et dixit ad eum Abner: Vade et revertere. Qui reversus est.* ». *Ibat pergens et plorans post eam* (*Hebr.*) inde a Gallim. Abner eam iussu Isboeth de Gallim tulerat, vel iusserat Phaltielem, ut eam sibi in Bahurim adduceret; inde eam reverti iussit, sane quod sibi soli, non illi, iter intra Davidis fines tutum reputaret.

Bahurim civitas Beniaminitica 19, 16; ex h. l. probabilis tribui Iuda contermina; et ex 15, 23, 30; 17, 22, 24 in via, quae a Ierusalem ducit ad Iordanem. Merito *Caln.* ad 16, 5 (cf. *Munst., Vatabl.*) suggerit, eum locum etiam habuisse nomen Almath, quod ei *Chald.* utroque loco tribuit, quodque Ios. 21, 18; 1 Par. 6, 60; 7, 8 tribuitur loco ab Anathoth parum distanti. Utrumque nomen significat « iuventutem ».

v. 17 « *Sermonem quoque intulit Abner ad seniores Israel, dicens: Tam heri quam nudius tertius quaerebatis David, ut regnaret super vos.* » Dixerat s. auctor v. 14 sqq., quomodo Abner expleverit conditionem v. 13 a Davide statutam; v. 17-19 narrantur, quae Abner eodem tempore fecerit ad reducendum Israel ad David; hinc « sermonem in-

tulerat». (*Malv.*). Quae formula solemnior est communi illa « locutus est » suggeritque sermonem habuisse Abner in publico conventu. Phares fortasse inde ab initio non nisi metu et suasionibus fuerant inducti, ut adhaerent Isboeth. Certe postea plures ad Davidem transigerant, alii transitum iam parabant, idque maxime efficiebant oracula prophetarum (cf. v. 18) late iam divulgata, quibus Davidi regnum promittebatur. Quod sane argumenti genus ad movendos seniorum animos non parum habebat efficaciae. v. 18 « *Nunc ergo facite* », desiderata executioni mandate (*Then.*), « *quoniam Dominus locutus est ad David* » — haec ratio praescindendae omnis morae, expectandique fausti eventus, Domini quippe consilium executuri estis — « *dicens: In manu servi mei David salvebo populum meum Israel de manu Philisthinum, et omnium inimicorum eius* ». Nullibi haec verba leguntur: sed num omnia prophetarum oracula libris conscripta sunt atque ad nos de venerunt? num Gad aliique prophetae nullas unquam prophetias ediderunt? In rebus extremis solitus erat Deus novis editis oraculis populum suum consolari; haud igitur mirum est, si post stragem etiam in monte Gelboe effectam oracula quaedam prodierint. Placet nostrae prophetiae originem ei tempore adscribere, cum in ea Philisthaeorum habeatur mentio. v. 19 « *Locutus est autem Abner etiam ad Beniamin.* ». *Loqui in auribus* modum aliquem magis familiarem colloquendi insinuat. Non poterat Beniaminitas Abner auctoritate terrere, ipsi enim fortissimi erant et robur exercitus Isboeth. Ex his verbis iudicaverim, Abner singulas tribus seorsim adiisse. « *Et abiit ut loqueretur ad David in Hebron omnia, quae placerant Israeli, et universo Beniamin.* ». Non solum consilium adhaerendi Davidi exposuit (*Then.*), sed insuper conditiones adhaesionis. Sane imprimis Beniaminitae prospexerunt, ne qua antea actorum vindicta de ipsis sumeretur, ne honorum iacturam paterentur, ne Iudaei inferiores haberentur. Illudne licet ex voce *universo* conicere, Beniaminitas unanimiter in Abneri partes abiisse? v. 20 « *Venitque ad David in Hebron cum viginti viris; et fecit David Abner et viris eius, qui venerant cum eo, convivium.* ». Non utique ipso adventus die, sed negotio absoluto, quod quidem, Abnero aequa petente et Davide liberaliter petita concedente, brevi expeditum esse videtur. Convivii splendor fuit signum externum internae animorum unionis. *Then.* putat viginti viros adhibitos esse, qui deducerent Micholem, *Keil*, qui nomine tribuum dictis Abneri auctoritatem adderent: certe virum, qualis Abner erat, non decebat absque comitatu tale iter suscipere. Haec ratio sufficit, aliam textus non enuntiat. v. 21 « *Et dixit Abner ad David: Surgam* », — et ibo addunt *Hebr. LXX Chald. Syr.*: consilium prius cum Davide initum nunc exsequi aggreditur — « *ut congregem ad te dominum meum regem omnem*

Israel, et ineam tecum foedus et imperes omnibus, prout desiderat anima tua ».

Reliqui imperes super omne, quod etc. : sensus idem est, nam neutrum illud omne obiective significat personas omnes. Pro ineam Hebr. Chald. Syr. ineamt (cf. 5, 3), fortasse melius : non ad Abner, qui iam Davidem salutatur regem, pertinet, cum eo foedus ferire.

« Cum ergo deduxisset David Abner, et ille isset in pace », — melius haec absolute ponuntur, concludunt enim narrationem eorum, quae inter David et Abner gesta sunt : Deduxit ergo David Abner, et ille ivit in pace. Sequens sententia incipit ab *Et ecce. Ire in pace* frequens scripturis locutio, non solum significat non molestatum abire (Then.), sed abire perfecte reconciliatum.

v. 22 « Statim pueri David et Ioab venerunt caesis latronibus, cum praeda magna nimis ; Abner autem non erat cum David in Hebron, quia iam dimiserat eum, et profectus fuerat in pace ». v. 23 « Et Ioab et omnis exercitus, qui erat cum eo, postea venerunt ; nuntiatum itaque est Ioab a narratibus : Venit Abner, filius Ner, ad regem, et dimisit eum, et abiit in pace ». Videntur ad illud usque tempus negotiationes inter David et Abner habitae esse secretissimae, ita ut ne ipse quidem Ioab, quo loco illae essent, accurate sciret. Verum, quod Abner ad Davidem venerit, ab eo convivio exceptus et amice dimissus fuerit, haec utique latere non poterant. Nota, quanto studio s. auctor inculcet, adveniente Ioab Abner iam non fuisse in Hebron : ergo Ioab non fuerat a rege accersitus ad interimendum Abner, rex innocens erat caedis eius.

Hebr. *Et ecce pueri David et Ioab veniebant de latronibus*. וְגַדְדִּי, (cf. 1 Reg. 30, 8) secundum etymon *acies*, saepius significat *latrones*; recte quoad sensum etiam vertunt *LXX* *expeditio*. Postea, recte quoad sensum a Vulg. suppletur, *Hebr.* solum repetit verbum *veniebat*. — v. 24 *Hebr. Vulg. Chald.* legunt וַיֵּרָד דָּוִד וַיֵּרָד אִיָּוִב וַיֵּרָד אֲבִיָּוִב וַיֵּרָד אֲבִיָּוִב וַיֵּרָד אֲבִיָּוִב. *LXX* Syr. pro וַיֵּרָד legebant particulam interrogativam הֲלֵא, quam ad v. 25 traherant : sane vix potuit Ioab v. 25 ordiri ab affirmatione *nosti*, bene vero ab *expostulatione Nonne nosti* ? Tamen *expostulatio* potuit vocis modulatione exprimi, ommissa particulam Interrogatoria ; quod suggerit nostra Vulg., v. 25 adscripto interrogationis signo.

v. 24 « Et ingressus est Ioab ad regem et ait : Quid fecisti ? Ecce venit Abner ad te : quare dimisisti eum, et abiit et recessit ? » Ex modo, quo Ioab Davidem alloquitur et quo David v. 39 de Ioab conqueritur, inferas Ioab non multo iuniorem fuisse Davide, ergo Saruam sororem fuisse longe maiorem natu Davide. Aliunde videtur Ioab aliquantum iunior fuisse Davide, nam Davide moriente decrepita aetate (cf. 3 Reg. 4) Ioab nondum videtur destitutus fuisse robore et audacia ad res magnas

adoriendas. v. 25 « Ignoravit Abner, filium Ner, quoniam ad hoc venit ad te, ut deciperet te, et sciret exitum tuum, et introitum tuum et nosset omnia, quae agis ? » פָּתָה, verbis decipere. Ultimae duae expressiones sunt synonymae, priorem vide 1 Reg. 18, 13. 16. Num haec Ioab ipse credebat ? Eius utique non erat eximia sinceritas ; ceterum, qui malo sunt animo, frequenter etiam aliorum mentem sinistre interpretantur. David Ioabi dictis nequaquam est assentitus (cf. v. 28 sqq.), fortasse tamen illa non satis explicito repudiavit, ut Ioab coniceret necem Abneri sibi, si non tacite permitti, at certe impunitam esse discessuram ; praeterea oppido norat, quam necessarius (cf. v. 39) ipse regi esset. v. 26 « Egressus itaque Ioab a David, misit nuntios post Abner, et reduxit eum a cisterna Sira, ignorante David ». Misit, inquit *Ios.*, « qui eum Davidis nomine revocarent ». Locus est ignotus, probabiliter situs in via, quae ab Hebron ducit Benjamin versus, secundum *Ios.* viginti stadiis distans ab Hebron. v. 27 « Cumque redisset Abner in Hebron, seorsum adduxit eum Ioab ad medium portae, ut loqueretur ei in dolo, et percussit illum ibi in inguine, et mortuus est in ultionem sanguinis Asael, fratris eius ».

Obicit *Then.*, medium portae non fuisse locum idoneum ad secreta colloquendum : quam difficultatem iam praecoccupare *Chald. Syr.* vertentes אֲרִיָּוִב *intra*. — שָׁלַח *Vulg. LXX* derivare a שָׁלַח, *errare, peccare, ergo dolo* ; *Chald. Syr.* a שָׁלַח, *quietum esse, ergo quiete*. Ioab eo concessit praetextu maioris quietis, revera ne a quoquam prohiberetur, et ut actio prehendentis micronem in loco obscuriore ignoraretur.

v. 28 « Quod cum audisset David rem iam gestam, ait : Mundus ego sum et regnum meum apud Dominum usque in sempiternum a sanguine Abner, filii Ner ». *Hebr. de cum Domino* : id ideam suggerit rei a tribunali divino dimissi et a crimine absoluti (*Then.*). — *Regnum* adicitur, quandoque enim regis progenies ferre debet sequelas peccati parentis, cf. 1 Reg. 13, 13 sq. — « Illud, in sempiternum, ex Hebraeorum usu nihil habet praeter epitasim non vulgarem, sed quae maiorem in modum rem negatam aut affirmatam exaggerat » (*Sanct.*). v. 29 « Et veniat » — *Hebr. advolvatur*, sc. sanguis — « super caput Ioab et super omnem domum patris eius, nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens, et leprosus, et tenens fuscum, et cadens gladio, et indigens pane ». Dira imprecatio, quam inspiraverat Davidi quum horror sceleris, tum desiderium omnis a se suspicionis efficaciter removendae.

« Fluxus seminis laborans inuillis est ad generandum, quia semen profundit ; puniunt ergo Ioab hic sterilitate et ἀσπορία » (*Lap.*). — פֶּלֶךְ utique etiam significat *fuscum* ; hic tamen *baculum*, *LXX* σκνδρον, illum sc. cui illi inantuntur infirmi, « qui sunt mutilato corpore » (*Theodoret.*), qui ambulare erecti nequeunt « prae dolore morbi

pedum, qui vocatur podagra» (*Rabbi Isaias* apud Amam.). Ita *Chald.* quoque verbat, sed corrigo גָּזַל in גָּזַל .

v. 30 « *Igitur Ioab et Abisai, frater eius, interfecerunt Abner, eo quod occidisset Asael, fratrem eorum, in Gabaon in proelio* ». Ergo Abisai consenserat neci; fortasse ne quis eam impediret, providerat. Ubi advertit *Malb.*: « Notant, rationem reddi imprecationis Davidis in totam paternam familiam eius (Ioab), quia ambo fratres, qui superfueraut, in necem Abneri turpiter conspiraverant ».

Abner Asaelem iusto in proelio occiderat, et quidem bis de periculo admonitum: ergo iniuste a Ioab interemptus est, qui invidia moveretur viri, brevi futuri acceptissimi Davidi (*Ios.*), cf. 20, 10. Hunc verum expungit *Wellh.*, quod sit velut supplementum: quoddam serius adiectum, quo ostendatur, cur David v. 29 et 30 non solum Ioab maledicat, sed toti domui patris eius. At datur versus esse eiusmodi supplementum: num ideo serius illud adici oportuit? num non saepe auctores, dum libros suos conscribunt, eiusmodi ipsi adiciunt? aut non potuit Nathan ipse serius illud adicisse, quod illam maledictionem reapse aliqua explicatione indigere sentiret? Praeterea, licet versus id etiam explicet, cur David una cum Ioab toti domui patris eius maledixerit, tamen neque ad hoc unice neque ad hoc potissimum explicandum adiectus fuit versus: ratio primaria fuit, ut ostenderetur Davidis innocentiam in caede Abner. Quam auctor summo studio inculcat. Sic v. 26 monuerat, revocatum esse Abner « ignorante David »; v. 28 sq. David se ab omni culpa defendit, et totam maledictionem in Ioabum conicit; v. 32 sqq. David Abnerum solemnibus exsequiis honorat; v. 37 asseritur totus populus innocentiam David perspexisse; v. 38 sq. David rursus de filiis Saruiae conqueritur. Medii inter haec omnia inseruntur v. 30 sq.: « Igitur Ioab et Abisai interfecerunt Abner . . . Dixit autem David etc. ». Nonne haec uno calamo conscripta sunt? — Adverte, totam hanc partem de Davide Hebrone regnante *apologiae* cuiusdam rationem habere, ostendentis Davidis in ruina domus Saul innocentiam. Hinc primum eius in Saullem mortuum pietas describitur; ipse nonnisi Deo his consulto Hebrone sedem fixisse, non ipse sed Ioab belli auctor fuisse ostenditur. Verum duo supererat facta, in quibus David non ab omni suspitione erat immunis, interfectio Abner et Ishobeth: utrumque ita narratur, ut clarissime pateat, facta illa inscio et nequaquam consentiente David occurrisse.

v. 31 « *Dixit autem David ad Ioab et ad omnem populum, qui erat cum eo* », i. e. aut probabilis exercitum, qui erat cum Ioab, aut incolas Hebron, qui erant cum David: « *Scindite vestimenta vestra, et accingimini saccis, et plangite ante exsequias Abner* ». *Hebr.* ante Abner; sed intelliguntur exsequiae; imo ex verbis fortasse inferre licet cum *Ios.*, Ioab et reliquos ante feretrum, David post illud in funebri processione incisuisse. שַׂק « saccus », *aethiop.* vestimentum ex erinibus.

« Porro rex David sequebatur feretrum ». v. 32 « *Cumque sepelissent Abner in Hebron, levavit rex David vocem suam, et flevit super tumulum Abner; flevit autem et omnis populus* ». v. 33 « *Plangensque rex et lugens Abner, ait: Nequaquam, ut mori solent ignavi, mortuus est Abner* ». v. 34 « *Manus tuae ligatae non sunt, et pedes tui non sunt compedibus aggravati: sed sicut solent cadere coram filiis iniquitatis, sic corruisti* ». Non manibus et pedibus ligatus ductus es ad mortem, quia malefactor non eras; cecidisti inique occisus. Quo carmine Abneri innocentia et Ioabi scelus modo maxime solenni enuntiabantur; simul etiam Davidis innocentiam indubie pateferebat: equi enim occisor in exsequiis occisi taliter aget?

גָּבַל , *Chald.* impius: sic v. 34 amplificat id, quod v. 33 edixerat, non sicut malefactorem corraisse Abner, sed malefactorum manu insontem ipsum. *Vulg.* derivat significationem *ignavus*, ut affirmetur Abner non ignobilem mortem obiisse, qualis sit ignavi militis aut malefactoris, sed etc. — *Sunt aggravati*: recte *Vulg.* in הִגְשִׁיחַ legitur pro שָׁח (*accesserunt*), quod legunt *Masor.* LXX *Chald.* *Syr.* Praeterea LXX legebant et iungebant $\text{הִגְשִׁיחַ כְּבָבֵל}$, *adductus es sicut impius*; *Syr.* $\text{הִגְשִׁיחַ כְּבָבֵל}$, *adductus es sicut cadens*. Sed in his sequendi sunt *Hebr.* *Vulg.* *Chald.*

« *Congeminansque omnis populus flevit super eum* ». *Hebr.* Et populus etiam magis flevit super eum, commotus verbis David. v. 35 « *Cumque venisset universa multitudo cibum capere cum David, clara adhuc die, iuravit David dicens: Haec faciat mihi Deus, et haec addat, si ante occasum solis gustavero panem vel aliud quidquam* ». Quibus sane auditis populus etiam ipse abstinnit, sicque luctus eadem solemnitate habitus est pro Abner, qua habitus fuerat 1, 12 pro Saul et Ionatha. « Haec ei (David) gratiam apud populum conciliarunt. Nam, qui Abnerum vel maxime dilexerant, vehementer hunc defuncto praestitum ab eo honorem servatamque fidem probaverunt: quod eum, ut cognatum et amicum, omnibus exsequiarum iustis dignatus fuerit, et non ut inimicum turpis et tunc neglectae sepulturae ignominia affecerit » (*Ios.*).

Cibum capere cum David: videtur fuisse quoddam epulum funebre. Sed *Hebr.* LXX *Chald.* *Syr.* legebant לֶחֶם בְּרֵית , *manducare facere*; cf. 13, 5; unde autumat *Then.*, adhibuisse populum Davidi genus consolationis vel maxime sensualis. At difficile intelligitur, qui venerit universus populus ad cogendum David, ut cibum sumeret. Qua difficultate perspecta, *Ios.* pro universo populo posuit familiares regis tantum. Lectio plerumque codicum est לֶחֶם בְּרֵית , *ad deducendum ad convivium*, sed sic abundat לֶחֶם . *Vulg.* *Symm.* legebant לֶחֶם בְּרֵית , *ad manducandum cum David*, quae lectio est omnino plana.

v. 36 « *Omnisque populus audivit* », — *Hebr.* intellexit, sc. genuinum esse Davidis dolorem, « caedem Abneri non fuisse patratam rege conscio »

(Malv.) — « et placuerunt eis cuncta, quae fecit rex in conspectu totius populi ». Hebr. Chald. et placuit in oculis eorum, sicut cuncta, quae fecit rex in conspectu totius populi, bona erant. Similiter Syr. v. 37 « Et cognovit omne vulgus et uniuersus Israel in die illa, quoniam non actum fuisset a rege, ut occideretur Abner, filius Ner ». Primum cognouit omnis populus sc. Iuda, cf. v. 23. 31 sqq., mediate didicit populus Israel.

v. 38 « Dixit quoque rex ad seruos suos : Num ignoratis, quoniam princeps et maximus cecidit hodie in Israel ? » Est *לך דלך דבצו* : LXX Syr. dux magnus. v. 39 « Ego autem adhuc delicatus et unctus rex, porro viri isti filii Saruiae duri sunt mihi : retribuat Dominus facienti malum iuxta malitiam suam ». Sensus verborum omnino is est, ut David se excuset, quod non ipse retribuit Iobabo, eum puniat et imperio priuet. Ratio, cur eam punitionem Domino relinquat, proxime est, quia viri isti duri sunt mihi, i. e. fortiores me sunt. Ad quae verba *Ego autem delicatus etc.* euidenter antithesin quandam expriment, enuntiant regis debilitatem ut oppositam Iobabi robori, aliquando utique tollendam, sed adhuc (Hebr. hodie) perdurantem. Sensus accurate expressit Malv. : « Occisores tanti viri agnoscitis maximo supplicio dignos; sed infirmus rerum mearum status non patitur, ut nunc supplicium sumam de his, qui plus quam ego apud populum possunt ». Cecidit hodie dux magnus, cuius ego ad regnum recenter aduectus opera utique fueram usus, cuius igitur necis certissime auctor non fui; quam tamen ulcisci in praesens non valeo, infirmior quippe sum, quam ut inter Iudaeos et in bello contra Israel carere Iobabi fortitudine queam. Quod excusationis genus simul undecim tribubus invitatio est ad se Davidi adiungendum et ita eius potentiam augendam.

Difficultatem verba faciunt. *Delicatus et unctus rex* habent Hebr. Vulg. Chald. Quod explicat Amama : « Unctus tantummodo, necdum in possessionem inmissus »; at falso, nam unctus erat rex super Iuda, et in possessionem regni Iuda venerat. Sa : Ego ulique sum debilis, et recens accepi unctiorem regiam; sed vox *recens* in textu non est. Ew. : Utiq; ego nunc in palatio vivo, et unctiorem regiam nactus sum; attamen etc. — LXX pro *לך דלך דבצו* legebat *לך דלך דבצו*, propinquus et constitutus a rege; ubi, si literas euidenter corruptas restituas, exurgit sequens probabilis lectio *לך דלך דבצו*, debilis et depressus, plus quam decet regem. Hunc fere sensum libere reddit *Ios.* : « Scitis autem, me infirmiorum esse, quam ut in Iobab et Absai, filios Saruiae, animadvertam ».

Liceat nobis h. l. de Iobabi indole pauca subicere. Iobab vir durus : durum fecit ambitio; fecit etiam crudelem et perfidum. Religio illi dura, rudis : obstitit 24, 3, ne populus numeraretur, quod provocandam Dei iram neque regi neque sibi usui futuram esse prospiceret. Davidi fidem constanter servavit; licet plus illo quandoque valeret et robore et astu, nunquam de throno usurpando videtur

cogitasse; eius praepriis enituit fides in turbis ab Absalomem excitatis. Domui quoque David sincere addictus erat Iobab, sed animo carnali et a fidei lumine alieno. Hinc 14, 4 sq. Absalomem tum natu maximum patri reconciliare studuit; postea Adoniae, qui proximus natu esset, partes sustinuit atque, ut a Salomone capitis damnetur, promeruit. Post regis fidem nihil illi sacrius se ipso; illud alte animo fixerat, ut alium ferret post regem secundum nullum. Hinc Davidem inter et Isboeth res pacifice componi passus non est. Abnerum interemit, praetextu quidem ultionis, sed longe verius ideo, quod sibi ab eius apud regem et plebem gratia timeret. Neque anni multi viri iadole emendarunt, nam 20, 40 sq. ex eadem ambitione Amasam confodit; ubi dicebant, qui testes aderant : « Ecce qui esse voluit pro Iobab comes David ». Absalomem, quem sibi, a patre in gratiam receptum, infensum futurum pertimescebat, iaculo transfixit. Regis interim furem, primum impotentem neglexit, postea rebus utiliter gestis com-pescuit. In expugnanda arce Sion eius enituit fortitudo, pecunias postea in munitionem urbis liberaliter impendit 1 Par. 11, 6, 8, regi gloriarum devictorum Ammonitarum 2 Reg. 12, 28 modeste concessit. Cuius vafritiem perspectam tandem habuit David atque, ut iustas ferret poenas, Salomoni commendatum reliquit 3 Reg. 2, 5 sq.

6) Isboethi interitus 2 Reg. 4, 1-12.

ARG. — Abneri nece Isboethi res misere collabuntur. Beniaminitae duo, rati se gratum Davidi facturum, Isboethum trucidant, sed iusto a Davide supplicio afficiuntur. Davids in hoc facto innocentia elucet tum ex eo, quod sicarii Beniaminitae essent et Isboetho familiares, tum ex gravissimis, quas de illis sumpsit David, poenis.

Cap. IV v. 1 « *Audivit autem Isboeth, filius Saul, quod cecidisset Abner in Hebron, et dissolutae sunt manus eius, omnisque Israel perturbatus est* ». Describitur accepti nuntii effectus in Isboeth et in populo. Manus propendentes inertes expriment terrorem et consequentem ignorantiam, quid sit faciendum. « Tantum virium et auctoritatis habuit Isboeth, quantum illi tribuerat patronus et imperator Abner : quare, cum sublatus audivit, statim deiectus est animus, et totius corporis dissoluti nervi » (*Sanct.*). In populo autem desiderabatur iam, qui « regebat domum Saul » (3, 6). Negotiationes cum David ad tempus interruptae erant, interempto eo viro, qui earum auctor fuerat et promotor. Mors Abner primum utique Davidi imputabatur dubitaturque, acturusne esset ut hostis, an ut amicus.

v. 2 « *Duo autem viri principes latronum erant filio Saul, nomen uni Baana, et nomen alteri Reiab, filii Remmon Berothitae de filiis Beniamin, siquidem et Beroth reputata est in Benjamin* »; v. 3 « *et surgerunt Berothitae in Gethaim, fueruntque ibi advenae usque ad tempus*

illud, vel potius, *hoc*, sc. scriptoris sacri. Illud inculcatur, occisores Isboeth fuisse Beniaminitas, ut ex una parte sceleris atrocitas illustretur, ex altera Davidis innocentia: vix enim David Beniaminitas sicarios conduxisset, et minime omnium eos viros, qui in exercitu Isboeth imperium aliquid obtinerent.

Erant duces *turmarum*, quorum utique belli gerendi ratio a latrocinio parum videtur fuisse remota; ceterum notat *Verc.*, etiam latronum nomine quandoque veri nominis milites designari. — *Beroth* urbs erat Gabaonitarum Ios. 9, 17, tribui Beniamin attributa 18, 25; nominatur etiam 1 Esdr. 2, 25; 2 Esdr. 7, 29. Quodsi autem urbs primitus fuerit attributa tribui Beniamin, quomodo nunc tandem narratur esse *reputata in Beniamin* seu *adnumerata Beniamin* (Hebr.)? Respondeas, non explicari h. l. fuisse eam urbem intra fines Beniamin, quod luce clarius patebat, sed illud explicari factum, quomodo urbs, quae fuerit a Iosue 9, 17 sqq. incolis Chanaanaeis perenniter concessa, nunc tandem eo devenit, ut incolae haberet Beniamine prognatos. Hinc perspicere est, quo tempore Remmon ille de filiis Beniamin transmigraverit in Beroth. Quatuor erant civitates Gabaonitarum: Gabaon, Caphira, Beroth, Cariathiarim. Cariathiarim scimus tempore Samuelis incolae habuisse Chanaanaeos, Gabaonitas 2 Reg. 21, 1 Saul interfecerat. Vix ergo dubitari potest, uno eodemque tempore Saulem quatuor illis urbibus iniuriam intulisse, quo tempore cum aliis etiam Remmon in Beroth commigraverit, et agris Berothitarum ditatus sit. — *Gethaim* 2 Esdr. 11, 33 Beniaminitis tribuitur, quo quidem solo facto non probatur stricte, eam antiquitus etiam ad Beniaminitas pertinuisse. Sane, sicut Rama vocabatur Ramathaim, ita Gethaim potuit etiam nomen habere Geth (*Calm.*). Unde rursus probabilis fit coniectura *Wellh.*, hoc Geth seu Gethaim idem esse atque Geth Remmon, urbs sacerdotum Danitis primitus attributa, neque longe distans a finibus Beniamin, ut ex locis una enumeratis Ios. 19, 43; 21, 24 effici videtur.

v. 4 « *Erat autem Ionathae, filio Saul, filius debilis pedibus; quinqueennis enim fuit, quando venit nuntius de Saul et Ionatha ex Iezrahel; tollens itaque eum nutrix sua fugit, cumque festinaret, ut fugeret, cecidit, et claudus effectus est; habuitque vocabulum Miphiboseth* ». 1 Par. 8, 34; 9, 40 vocatur Meribbaal: cf. dicta ad 2, 8. Puer cum nutrice videtur fuisse Gabaae Saulis, unde apparet etiam illinc populum trans Iordanem fugisse 1 Reg. 31, 7. Erat puer *percussus* pedibus, sc. paralyti.

Haec de Miphiboseth animadversio praeparat cap. 9; cur vero hoc praecise loco inseratur, non ita liquet. Attende parallelam constructionem v. 2, *duo viri principes erant filio Saul*, et v. 4 *erat Ionathae filius*. In eo videtur esse s. auctor, ut nobis ostendat, qui, sublato Abner, domui Saul superfuissent adiutores; quos enumerat Isboeth terrore exanimem, populum omnino perturbatum, Miphiboseth infantem eundemque infirmum, tandem duces exercitus duos, ceteris

uti videtur praestantiores, sed qui ipsi Isboeth interemerint. « Cum latrones isti viderent, neminem fore designatae a se caedis aut regni vindicem, praeter Miphibosethum puerum adhuc et claudum, spe impunitatis in factum audacius proruperunt » (*Malv.*).

v. 5 « *Venientes igitur filii Remmon Berothitae, Rechab et Baana, ingressi sunt fervente die domum Isboeth, qui dormiebat super stratum suum meridie* ». *Suum* reliqui non habent; *Hebr. Chald. Syr.* intelligebant: super stratum meridianum; cf. *germ.* « *Mittagschlaefchen* ». *Chald.* explicat *Fürst* lucem duplicem, medium inter lucem crescentem et decreascentem tempus; verum, cum formae analogae ערבים Ex. 12, 6 et שחרים 1 Par. 8, 8 eandem illam explicationem minime patientur, melius fortasse cum *Ges.* illas dualis formas explicabimus ut intensivas: plenissima lux i. e. meridies. — Sequens v. 3 pars ex *LXX* irrepit in *Vulg.* cf. *Verc.*: « *(Et ostiaria domus purgans triticum obdormivit)* ». v. 6 « *Ingressi sunt autem domum latenter, assumentes spicas tritici, et percusserunt eum in inguine Rechab et Baana, frater eius, et fugerunt* ». v. 7 « *Cum autem ingressi fuissent domum, ille dormiebat super lectum suum in conclavi* ». *Hebr.* in cubiculo strati sui, ubi sc. dormire consueverat, « *et percutientes interfecerunt eum; sublatoque capite eius, abierunt per viam deserti tota nocte* ». Intelligitur via sequens depressionem Iordanis (cf. 2, 29), trans flumen, ducens per regionem non ita dense inhabitatam, ideoque ab observatione remotiorem, maxime nocturno tempore.

Ceterum locus est vexatus. Discordant textus, cum illud de ostiaria sola *Vulg.* et *LXX* habeant, spicas vero percussumque inguinem *LXX* ignoret. Intelligi nequit illud *assumentes spicas tritici*. Tandem offendit, narrari ter sicariorum adventum (v. 5 *ingressi sunt*, v. 6 *ingressi sunt*, v. 7 *cum autem ingressi fuissent*), bis interfecionem (v. 6 *percusserunt eum in inguine*, v. 7 *percutientes interfecerunt eum*), bis quoque profecionem (v. 6 *fugerunt*, v. 7 *abierunt*). Confusio videtur originem duxisse ex textu *hebr.* partim defigurato, partim false interpretato. *Hebr.* ורגה באר עד תוך הבית לקחי הטים *verboten* reddit *Vulg.*: *ingressi sunt autem domum latenter, assumentes spicas tritici*; ubi *latenter* cum *Verc.* revocamus ad תוך, usque ad interiora, licet illud etiam possit explicari ut repetitio sequentis כבולטר (*fugerunt*). Sed eadem verba ita legebat *LXX*: והנה שונת הבית לקחי הטים, *et ecce ostiaria domus purgans triticum*, seu *et ecce ostiaria domus purgationis tritici* (חלקי separare, severare); quam *LXX* versionem reddit *Vulg.*: *et ostiaria domus purgans triticum*. Sane חלקת ex לקחי ורגה באר [א] ונדת[ן] facile oriri potuit, facilius etiam לקחי ex לקחי ורגה באר. Et ipsi (vel: et ecce) ingressi sunt intra domum purgationis tritici. — In sequentibus והנה על ההמשט ורגה באר על ההמשט *verboten* reddit *Vulg.* *et percusserunt eum in inguine*; *LXX* legebat *Hebr. Chald. Syr.*, quod reddidit *Vulg.* *et percusserunt eum in inguine*; *LXX* legebat והנה לרה וישק לרה, ubi cum *Gen.* 47, 13 (v. *Ges.*) וישק לרה *linguere* et radicis *chald.* significationem, ergo *et ipse defatigatus obdormiverat*, *Vulg.* *obdormivit*. Lectiones sunt valde affines, haec altera contextui longe melius favet, ut

statim patebit. — Vocem tandem נבולוֹי *Vulg.* virtutē et *fugerunt*, LXX et *latuerunt*: utraque significatio quadrat radici בלל *evadere*, potest enim quis aut ne apprehendatur evadere fuga, aut ne conspiciatur evadere latibulo. Alter sensus melius aptatur contextui. — Ergo totum textum sic resitimus: Et ipsi ingressi fuerant intra domum purgationis tritici; ipse vero defatigatus obdormierat. Et Rechab et Baana, frater eius, latenter ingressi sunt domum; ille vero dormiebat in cubiculo strati sui. — Vides iam, non eadem iterato narrari, sed, enuntiato v. 5 generali modo sicariorum adventu, eorum iam v. 6 sq. singillatim narrari gesta. Primum absconderunt se in aedificio quodam domui Isobeth contiguo, in *domo purgationis tritici*; inde opportuno tempore procedentes, *latenter ingressi sunt ipsam domum*.

v. 8 «*Et attulerunt caput Isobeth ad David in Hebron, dixeruntque ad regem: Ecce caput Isobeth, filii Saul, inimici tui, qui quaerebat animam tuam; et dedit Dominus domino meo regi ultionem hodie de Saul et de semine eius*». Nullam caedis afferunt rationem, praeter utilitatem ex ea Davidi proventuram, ob quam se utique remunerandos exspectant; imo quasi selecta divinae providentiae instrumenta gloriantur, quod haec eorum scelus ad suos fines permiserit. v. 9 «*Respondens autem David Rechab et Baana, fratri eius, filiis Remmon Berothitae, dixit ad eos: Vivit Dominus, qui eruit animam meam de omni angustia*», v. 10 «*quoniam eum, qui annuntiaverat mihi et dixerat: Mortuus est Saul, qui putabat se prospera nuntiare, tenui et occidi cum in Siceleg, cui oportebat mercedem dare pro nuntio*»: v. 11 «*quanto magis nunc, cum homines impij interfecerunt virum innocuum, in domo sua super lectum suum, non quaeram sanguinem eius de manu vestra, et auferam vos de terra?*» Dominus cum superstitē Saul multoties, tum maxime per ruinam domus Saul, quam eo permittente Rechab et Baana scelerate perfecerant, eruerat animam David: unde novo gratitudinis titulo obligatur David ad regis officia religiose obeunda, et speciatim ad Rechab et Baanae scelus puniendum. Quorum scelus augetur, quod *virum innocuum* occiderint, *Hebr. iustum*, i. e. qui nemini nocuerit neque malum intulerit — adverte negativam hanc iustitiae descriptionem, — quodque occiderint in loco maxime suo, a quo inimicus iure perquam longissime excludatur, et in eo statu et situ, quo minime sibi potuerit cavere, quae omnia neci imprimunt notam violentiae et ignaviae.

Qui putabat se prospera nuntiare: Hebr. et ipso erat quasi bonum nuntium annuntians in oculis suis; LXX Syr. in oculis meis, quod utique intelligi oportet ironice.

v. 12 «*Praecipit itaque David pueris suis, et interfecerunt eos; praecedentesque manus et pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron; caput autem Isobeth tulerunt, et sepelierunt in sepul-*

cro Abner in Hebron». Praecedunt manus, quibus necem operati erant, pedes, quibus pro mercede ecurrerant (*Keil*). Putabat iam *Ios.* ante mutilatos esse, et postea occisos: sed textus contrarium habet (*Sanct.*). — In Hebron sepelitur caput, quod eo tempore ex Iudaea nondum pateret accessus in terram Beniamin, ubi erat sepulcrum familiae Cis.

PARS II. REGNUM DAVIDIS IN IERUSALEM 2 Reg. 5-20.

Ostendimus Intr. n. 3 et 8, huius narrationis partem magnam ex fastis esse decerptam, totiusque narrationis ideam principem hanc esse, quomodo Davidi, aedificaturo domum Deo, vicissim Deus aedificet domum. Circa hanc reapse ideam tota disponitur narratio.

Duas primum in partes narratio dispescitur, quarum prior cap. 5-11 excerpta ex fastis complectitur, paucis interspersis, quae aliunde petuntur; altera peccatum David enarrat. De altera parte suo loco dicemus.

In priori parte cap. 5-7 praeparat magnam illam promissionem, cap. 7 eandem enarrat, cap. 8-11 concludit summario bellorum David, et accuratiorē narratione belli Ammonitici, inter quae inseritur narratio de Miphobeth ad aulam Davidis accitio, quae requiritur ad 16, 1 sqq. intelligendum, neque poterat alio loco inseri ob eximiam sequentis narrationis unitatem. Praeparatur autem promissio domus aedificandae, narrato 1) 5, 1-5 quomodo David fuerit agnitus rex super universum Israel, 2) 5, 6-10 quomodo sedem regni Hierosolymis fixerit, 3) 5, 11-16 quomodo palatium aedificaverit, uxores duxerit, filios genuerit, 4) 5, 17-23 quomodo duobus bellis feliciter gestis Hebraeos a Philistaeorum iugo exemerit, 5) 6, 1-23 quomodo arcem de Cariathiarim in Sion traduxerit. Quibus narratis iam efficitur, ut hinc habeas domum David firmiter stabilitam, illinc arcem Dei Hierosolymas quidem translata, sed domo adhuc carentem: ita sane aptissime praeparatur illa de domo arcae a Davide, et domo Davidis a Deo aedificanda promissio. Bella Philisthaica h. l. ea tantum narrantur, quae ad regnum Davidicum primum stabilendum contulerunt; dum ea, quae 21, 13 sqq. habentur, narrantur non tam ob utilitatem in totum regnum ex illis derivatam, quam potius ob quorundam heroum egregia facta memoriae tradenda.

A. Excerpta ex Fastis 2 Reg. 5, 4-11, 4.

1) Praeparatur promissio Davidi facienda 2 Reg. 5, 4-6, 23.

a. David universi Israel rex agnoscitur 2 Reg. 5, 4-5.

Cap. V v. 4 « *Et venerunt universae tribus Israel ad David in Hebron, dicentes: Ecce, nos os tuum et caro tua sumus* ». v. 2 « *Sed et heri et nudiustertius, cum esset Saul rex super nos, tu eras educens et reducens Israel. Dixit autem* » — et dixit — « *Dominus ad te: Tu pasces populum meum Israel, et tu eris dux super Israel* ». Venerunt « ex omnibus tribubus aliqui, praesertim principes » (Mar.). Num simul venerunt? Nolim affirmare. Plus septennio regnavit David in Hebron, biennio tantum Isboseth (2, 10 sq.), tamen Isboseth brevi post mortem Saul videtur esse creatus rex in Mahanaim: manet ergo quinquennium ab interfecto Isboseth, quo tribus septentrionales sibi relictae paulatim ad partes Davidis transiisse videntur. — Cum *exitus et introitus* (3, 25; 1 Reg. 18, 13, 16) significet omnia, quae quis agit, expressio *educere et reducere Israel* significat totam administrare rempublicam vel rem militarem. — Verum quodnam est argumentum verborum? *Michaelis, Then.*: Nolumus amplius regem nobis ceteroquin acceptum ideo solum recusare, quod ex alia sit tribu. Simplicius ita: Eiusdem gentis es, cuius nos sumus; iam regnante Saul egregie de republica meritis es; insuper te Deus ad regnum selegit: quare te libentissime regem agnoscimus. Recteque *Mench.* provocat ad Deut. 17, 15: « Eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus ». — Dictum illud Domini verbotenus in prophetiis ad nos transmissis non habetur (cf. etiam 3, 9, 18); sed nonne id ipsum factis loquebatur Dominus, quando per Samuelem ungebatur Davidem? Verbis praeterea cunctissae videtur aut Samuel, aut propheta alius. — Argumentorum v. 4 sq. prolatorum legitima conclusio ea erat, ut David rex ab omnibus agnosceretur: quam conclusionem factis impletam ostendit v. 3 « *Venerunt quoque et seniores Israel ad regem in Hebron, et percussit cum eis rex David foedus in Hebron coram Domino* ». Cf. 3, 13, 21. Foedus illud coram Domino percussum est, Iehova sc. in testem invocato (Sanct.). « *Unxeruntque David in regem super Israel* ». Cf. dicta ad 2, 4. — 1 Par. 11, 3, quae narratio ceterum verbotenus cum nostra coincidit, addit (hebr.): « secundum verbum Domini per manum

Samuelis »; quod verbum non habemus necesse supponere esse diversum ab eventu 1 Reg. 16, 12 sq. narrato. Duplici publica unctione (2, 4 atque h. l.) David duo regna, personali quam dicunt unione, obtinuit. Quae distinctio nunquam est oblitterata (cf. v. 5; 12, 8; 19, 40 sqq.; 20, 2; 3 Reg. 1, 35; 4, 20 etc.), et mortuo Salomone separatione regnorum est completa. v. 4 « *Filius triginta annorum erat David, cum regnare coepisset, et quadraginta annis regnavit* ». v. 3 « *In Hebron regnavit super Iudam septem annis et sex mensibus; in Ierusalem autem regnavit triginta tribus annis super omnem Israel et Iudam* ». Haec repetuntur 3 Reg. 2, 11 et 1 Par. 29, 27, omissis tantum *sex mensibus*; unde videtur posse concludi, integrum Davidis regnum fuisse quadraginta annorum et sex mensium; nisi mavis defendere trigesimum tertium annum, Hierosolymis transactum, fuisse incompletum.

b. David regni sedem Hierosolymis figit 2 Reg. 5, 6-10.

Narratur David urbe Ierusalem potius ibidem regni sedem fixisse. v. 6 « *Et abiit rex et omnes viri, qui erant cum eo, in Ierusalem ad Iebusaeum habitatorem terrae* », i. e. aborigenes terrae sanctae (Tir.).

Modo dicebatur David triginta annis in Ierusalem regnasse, unde concludit *Clair*, captam esse Ierusalem ipso eorum triginta annorum initio: conclusio probabilis, non tamen necessaria, nam expressio « regnavit in Ierusalem » potest etiam largiori aliquo sensu intelligi. Observa Davidis pietatem, ab ipso regni exordio adnitentis divinum implere mandatum, quo illae gentes proscribebantur; cum illa confer Sautis vafritem, contra Iebusaeos arce firmissa protectos nihil toto regno molientis, sed innoxios Gabaonitas adorantis, quorum incolumitati Iosue lege providerat. — *Iebusaei* originem ducebant a Chanaan, filio Cham, Gen. 10, 16. Eorum terra fuerat Abrahamo Gen. 15, 21 promissa, et promissio identidem iterata. Quorum rex Adonisedec, cum quatuor aliis regibus, a Iosue cap. 10 devictus et interemptus est. Urbs Iebus seu Ierusalem Ios. 18, 28 et Iud. 1, 21 Boniaminitis, Ios. 15, 63 Iudaeis tribuitur; simul narratur Hebraei non potuisse extirpare Iebusaeos, sed illis permixti regionem incoluisse. Ea urbs, quod fere aequali proportionem ad Iudaeos et ad Boniaminitas pertineret, aptissima erat, quo David sedem imperii ex Iuda et Israel coadunati conferret.

« *Dictumque est David ab eis: Non ingredieris huc, nisi abstuleris caecos et claudos, dicentes: Non ingredietur David huc* ». *Chald. LXX* ultima haec distinctius construunt ut dicta a caecis et claudis, i. e. ab idolis. Ita tollitur ea, quae secus adesse videretur, repetitio; nihil quippe abundat in sententia huiusmodi: Non intrabis huc, nam dii te abigent, ne intres. — אים *Vulg. Chald. Syr.* vertunt nisi, ubi הסיך explicandum est, ut sit infinitivus cum suffixo, constructione secus haud usi-